

Capitula comunitatis Arimini.

In nomine Domini nostri Iesu Christi ejusque gloriosae Virginis matris Mariae et divi Marci evangelistae ac beatorum Iuliani et Gaudentii, Columbae et Innocentiae patronorum Arimini etc. totiusque celestis curiae.

Infrascriptae sunt supplications et preces sive capitula, quae dominus Galeotus de Gualdis, dominus Gregorius de Berneris juris consulti, et dominus Iohannes de Sacramoris et dominus Petrus de Tingulis nobiles ariminenses, oratores civitatis Arimini, humiliter petunt a serenissimo et clementissimo Venetiarum duce domino Leonardo Laureano, et ab ejus inclito ducali Dominio, pro ipsius civitatis depredatæ ac pene destructæ restaurazione, submittentes tamen ea correctioni, limitationi et dispositioni ejus serenissimæ Dominationis.

1.^o In primis, quod omnes terre, castra et loca comitatus, districtus, vicariatus et diœcesis Arimini, et quæ olim possidebantur per illos de Malatestis et in præsentiarum pervenerunt, seu in posterum pervenient sub ducali Dominio serenitatis vestræ, restituuntur et uniantur dictæ civitati Arimini ad merum et mixtum imperium et omnimodam jurisdictionem dictæ civitatis et ejus rectorum et ipsius civitatis legum, statutorum et ordinationum observantiam; unitaque eidem civitati manuteneantur et conserventur, una cum aliis castellis et locis in præsentiarum subdictis dictæ civitatis.

2.^o Item, quod infrascripta datia solvi consueta in civitate Arimini, videlicet datum emendi et vendendi granum quod appellatur domus sextarii, et est aliis locis vestri Dominii inconsuetum et dictæ civitati valde odiosum, valoris ducalorum centum vel circha; et datum macinandi granum, quod est in vestra civitate Venetiarum minime consuetum, et est valoris ducatorum tercentum vel circha, ex dono et gratia serenitatis vestræ penitus tollantur et annullentur. Prodatio vero imbotatus grani et aliorum bladorum ac vini, dicta civitas cum ejus villis circumstantibus sit exempta pro eo tempore quod placuerit serenitati vestræ, quo elapso, solvatur tantummodo medietas ejus quod consuetum est, si placet vestræ serenitati.

3.^o Item, quod pro vinis qui conduceduntur in civitate Venetiarum a civibus et incolis dictæ civitatis et ejus comitatus, per se vel per alios, ex proprio eorum recollectu, solvantur datia Venetiis prout solvunt cives terrarum vestrarum Dalmatiae; pro

aliis vero non existentibus de proprio recollectu, solvatur prout solvi solet pro vinis terraneis serenitatis vestræ.

4.^o Item, quod ex quibuscumque condemnationibus et poenis exigendis in dicta civitate, medietas spectet et pertineat comunitati dictæ civitatis Arimini, altera vero medietas cameræ ducali serenitatis vestræ, ut ex eis dicta civitas sumptibus occurrentibus suppeterere possit.

5.^o Item, quod omnes immunitates, consuetudines, indulta, privilegia concessa seu promissa eidem civitati a serenissimo vestro Dominio, et maxime quod liceat unicuique a portu Arimini ultra mare, et ab inde citra ad ipsum portum Arimini, et similiter ab ipso portu ad quæcumque loca ejusdem riperie et ex quibuscumque locis dictæ riperie ad dictum portum libere navigare, cum omnibus ejus mercibus et bonis et undecumque venientibus, infra limites qui vocantur *el Promontorio et le Badalene* existentes super dictum portum, absque eo quod teneantur ire Venetas, de cætero inviolabiliter observentur et manuteneantur absque omni impedimento vel molestia, juxta formam dictorum privilegiorum et maxime litterarum ducalium serenitatis vestræ emanatarum die 17 junii 1449, ne dicta civitas Arimini videatur in hoc deterioris conditionis sub vestro clementissimo Dominio, quam fuerit tempore dominorum de Malatestis.

6.^o Item, quod liceat unicuique, per terram et per mare, ducere in dictam civitatem Arimini quacumque ejus mercationes, tam tempore nundinarum, quæ sint et esse intelligentur liberae, franchæ et immunes, quam alio quocumque tempore; et eas ibi distrahere; et non distractas, seu alias ibidem emptas, libere extrahere, et habere transitum versus Tusciam et Bononię et alia quæcumque loca, soluti datiis consuetis in dictis locis, absque eo quod teneatur conducere Venetas. Exceptis tamen victualibus, et aliis rebus expresse prohibitis a serenitate vestra.

7.^o Item, quod unicuique civi et incolæ dictæ civitatis Arimini, liceat ex provincia Istriae vel alio quocumque loco magis comodo extrahere et portare, seu portari facere ad dictam civitatem, ac eam quantitatem lignorum ad comburendum quam placuerit serenitati vestræ, pro usu et necessitate dictæ civitatis.

8.^o Item, quod omnia officia dictæ civitatis et castrorum, comitatus et vicariatus ac diœcesis eidem civitatis ac ejus dominis rectoribus subditorum, dentur et distribuantur tantummodo dictis civibus et